

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobs Tappia.

comptur 1.13.7



777.
39

DISPUTATIO XXI.
DE MATRIMONIO
PRO SECUNDA PARTE
EXAMINIS CONCILII TRIDEN-
tini, Reverendi ac clarissimi viri, Dn. D.
MARTINI CHEMNITII.

- Quatuor capitum
I. *Vtrum Matrimonium sit Sacramentum.*
II. *De Polygamia.*
III. *De impedimentis nuptiarum ac divortijs.*
IV. *De Clandestinis nuptijs.*

Quam ventilandam
Præside

SALOMONE GESNERO,
SS. Theol. D. & Profess. in Acad. Witteb. publ.
Proponit in Templo Arcis Elect. 1. Cal.
Junij, Anno Christiano 1603.

M. HENRICVS LEO, Stormaro-holsatus.

WITEBERGÆ
Typis Meisnerianis





GENEROSO ET ILLV-
 STRI HEROI, BENEDICTO AB
 ALEFELD, SERENISSIMI AC
 POTENTISSIMI REGIS DANIAE
 CONSILIARIO, ET PRÆFE-
 CTO ARCIS STEINBUR-
 GENSIS DOMINO IN
 REVERENTIA.

*Optimorum studiorum ac Literarum
 Mæcenati, Patrono suo
 colendo.*

Hanc Theologicam disputationem debitæ
 pietatis ac gratitudinis ergò reve-
 renter offert & nuncupat

M. HENRICVS LEO, SS.Tb. Ssud.



Un superiore proximâ disputatione, doctrina pontificiarû de sacramento ordinis, solidissime ex scripturarum oraculis, refutata sit, ordinis ratio nunc postulat, ut de Matrimonio, quod adversarijs in sacramentorum serie est ultimum, breviter agamus, omisis ijs non tam disputationem, quam hu-

jus loci prolicam commentationem concernentibus. Ut autem instituta huic materia sua constet methodus, meminerimus ad hæc quatuor tanquam ad summa presentis disputationis capita, respiciendum esse, 1. utrum Matrimonium sit SACRAMENTUM propriè sic dictum, 2. ad polygamiam, 3. ad impedimenta nuptiarum ac divortia, 4. ad clandestina matrimonia.

CAPVT I.
VTRVM MATRIMONIUM SIT
Sacramentum.

I.

Quod ad primum attinet, ejus statum controversia nos primum ante omnia tenere oportet, nimirum is talis est, utrum Matrimonium sit Sacramentum N.T. propriè sic dictum, nec ne, pontificij affirmativam, nos negativam huius questionis tenemus sententiam.

II.

Quod si disputatio in hoc tantum cardine verteretur Matrimonio tribuendam esse appellationem Sacramenti propter hanc causam, ut esset commonectio de tota illa doctrina, de præstantia Matrimonij, utq. contra omnes doctrinas Demoniorum appellatio Sacramenti quasi in illustri collocaret conjugium & moneret præclarior & augustior, in Ecclesia de conjugio sentiendum ac loquendum esse, quam apud ethnicos, quibus doctrina Evangelij ignota fuit, utq. ipsos conjugatos, officij sui admoneret, & in cruce consolationem monstraret; Si hoc tantum, inquam, à pontificijs quareretur & ageretur in hac disputatione facile posset de appellatione conveniri. Est enim Sacramenti appellatio & late patès, ut suo loco D. Chemnitius ostendit.

A 2

4. Sed



III.

Sed quia adversarij Matrimonium verè ac PROPRIE unum ex 7. nova legis Evangelicæ Sacramentum esse contendunt ac quidem contrarium docentes anathematis fulmine ferire haud verentur Can. 1. Concilij Trid. Bellarminus item de Matrimonio cap. 1. & 4. ideo sciendum hunc errorem, ut recens & primum post Gregorij tempora natus est, ita firmis argumentis refutari posse ac debere, si Sacramenti propriè sic dicti naturam respiciamus.

IV.

Primò enim requiruntur ad Sacramentum hæ proprietates: primum, expressum mandatum, idq; non humanum, sed divinum, quo & elementum & certus eius ritus præcipiatur. 2. externum aliquid materiale ceu corporale & visibile elementum, ceu signum, quo certo externo ritu tractetur, exhibeatur, ac usurpetur. 3. ut illud sit in N. T. institutum & mandatum, 4. ut accedat promissio divina de gratia, effectu, ac usu Sacramenti. 5. eaq; annexa sit signo, eoque velut vestita. 6. non de quibuslibet donis aut corporalibus aut spiritualibus, sed de gratuita reconciliatione remissionis peccatorum. 7. ut illa etiam promissio non in genere tantum vel significetur vel annuncietur, sed virtute Dei, offeratur, exhibeatur, applicetur & obsignetur etiam singulis quæ fide Sacramentis utuntur. Sed cum hisce requisitis Matrimonium destituatur, quis non videt definitionem Sacramenti propriè sic dicti, minime ei convenire?

V.

Sed pontificij ut thesin suam defendant, pueriliter hic ac insulse argumentantur à verbo mandati, quia conjugium sit ordinatio Dei, bona, & sancta. Ergo & Sacramentum propriè sic dictum. Resp. Hæc ratio si militaret, tum non septem, sed plura essent Sacramenta. Nam & agricultura, sutrina, tonstrina, & reliqua pia genera vite, mandatū & promissionem Dei habent. Tot igitur ex hac sequelâ prodibunt Sacramenta: id quod est omnium absurdissimum.

VI.

Id enim non tantum in Sacramento queritur, ut sit Dei opus, sed etiam, ut adsit externum & visibile signum. Nihil tale in Matrimonio

ni

no esse preri quoque iudicabunt. Egregium porro adversarij statuunt
Sacramentum, ubi ne ipsimet inter se certi sunt, quid materia, quid
forma locum in eo obtineat. Scholastici vix fingendo excogitare pos-
sunt, quam velint ponere materiam. Richardus dicit verbum pri-
mo prolatum (ut accipio te in meam) esse Materiam: & verbum se-
cundo prolatum (ut accipio te in meum) esse formam, vel e contra ut
scilicet verbum viri aliquando sit materia, aliquando forma. Sed has
ineptias prolixius refutare opera pretium non est, sua namque futilitate
corrunt.

VII.

Falsum etiam est, Conjugium esse Sacramentum nova legis, ut
Canon noster primus habet, cum omnibus in confesso sit, illud non à
Christo tempore Novi Testamenti esse primum institutum, sed in
ipso paradiso capisse initium, attestante ipso Salvatore Matth. 19.
v. 4.

VIII.

Neque etiam minoris fuit efficacia MATRIMONIUM in V.T.
quam est in N.; habuitque eandem significationem, quia Christus fuit
sponsus ecclesie sua ab initio mundi. Nam Os. 2. v. 19. dicit Domi-
nus: Sponsabo te mihi in iustitia, iudicio, misericordia, & fide. Et Salo-
mon ex professo epithalamium scripsit harum nuptiarum in Christo
& ecclesia. Ideo etiam Augustinus in ipsa Veterum polygamia qua-
rit mysterium Christi & ecclesie, de bono conjugali. cap. 18. Omnia
insuper, quae existimantur esse de ratione Sacramenti conveniunt pro-
rum conjugis etiam in Veteri Testamento. Quis itaque dixerit Matri-
monium peculiare esse Sacramentum N. T.?

IX.

Verum Tridentinum capitulum dicit paulum numerare Matri-
monium inter Sacramenta ecclesie, cum dicat, Eph. 5. Sacramen-
tum hoc magnum est, in Christo & in Ecclesia. Respondetur esse sophis-
tica figure dictionis. Significat enim *μυστήριον* vel rem ipsam spi-
ritualem & arcanam, vel externum Symbolum significans ali-
quid arcani. Iam ex hac hypothese infallibiliter sequeretur tot nu-
meranda esse Sacramenta, quot rebus appellatio *μυστήριον* in scriptu-
ra tribuitur. Sic decretum de redemptione generis humani vo-
catur *μυστήριον* Eph. 3. v. 3. Imò est *μυστήριον* iniquitatis sedens



in templo Dei, 2. Thess. 2. v. 7. Tot ergo Sacramenta? Rursus
 ἁποπορ.

X.

Paulus itaq, nihil aliud dicit, quam conjunctionem conjugalem, quam Adami verbis describit esse μυστηριον magnum non in se, sed quia significationem habeat, & imaginem gerat arcana conjunctionis Christi & ecclesie, sicut Paulus se ipsum explicans, mox subjicit, se uti hac voce de Christo & Ecclesia. Ad eundem modum Apostoli locum, orthodoxi etiam patres exponunt.

XI.

Neq, est, quod D. Augustini auctoritatem nobis obijciant. Longè enim aliud ille intelligit, quando loquitur de Sacramento Matrimonij, quam quando papista disputant, Matrimonium esse unum ex 7. Sacramentis N. T. verè ac propriè, sicut est baptisimas. Augustinus conjugalem vitæ ordinem Sacramentum vocat, quando cum ut purum sanctumq, adversus Hieronymi criminationes defendit lib. de bono conjugali cap. 7. & lib. 1. de nuptijs, cap. 10. 17. 21. In summa nihil aliud intelligit per vocabulum Sacramenti, quam mysticam significationem conjunctionis Christi & ecclesie. Imo ipse Durandus, dicit in quarto sent. dist. questione 3, Matrimonium NON POSSE DICI SACRAMENTUM, nisi IMPROPRIE & Æquivocè; Fumos itaq, venditant adversarij corruptentes quavis per se bona dicta.

XII.

Major adhuc impudentia est Tridentini Capituli quod fingit. OMNES patres semper ita docuisse, cum ante Augustini aetatem. nō facile ostendi possit vel generalem appellationem sacramenti tributam Matrimonio.

XIII.

Ejusdem farinae & illud est, idem cum dicit: Concilia semper ita docuisse, id autem datâ hac instantiâ statim corrumpit, quia non Apostolicum, non Nicenum, non Ephesinum &c: nullum certè ex veterioribus concilijs ita docuit, sed recentia producuntur, Constantiense scilicet & Florentinum.

14. Porro

XIV.

Porro etiam hoc loco Papistarum spiritus vertiginis probè observandus venit. Interdum enim conjugij dignitatem ita extollere videntur, ut illud pro Sacramento habeant nonnunquã vero ut in jure canonico planè in lutum & cenum id conculcant. Nos vero pudenda hujus cunctisq; prope sensibus exposita contradictionis culpam præstare non tenemur. Sed viderint ipsimet, quo pacto hoc lepidum commentum, cum pronunciato impio juris canonici concilient, quod Conjugium vocat opus carnis.

XV.

Quomodo ergo Conjugium Sacramentum est, si id Deo non placeat, utpote opus diaboli? Egregium sanè Sacramentum, cujus usum tanquam profanum universo vinctorum ac rasorum ordini interdicit. Sed digni sunt Romanenses ut vertiginis ejusmodi correpti spiritu tam scribant ἀσὺςατα, quæ nullam plane conciliationem admittant: Et justo Dei judicio hanc pœnã promerentur, ut talibus passantur nugis, cum incorruptum panem cælestem Evangelij fastidiant ac respuant.

CAPVT II.
DE POLYGAMIA.

I.

De Polygamia acturi primum ejus duo tanquam summa genera constituimus, quorum primum dicitur vel describitur, quando quis successivè priore uxore mortuã vel legitimè, sententiã competentis judicis ab illa separatus secundam ducit, vel tertiam, priore iterum mortuã. Alterum genus est, quando quis vel uno tempore plures habet uxores, vel unã non legitimè abjectã, aliam vivente priore ducit.

II.

Primum genus Polygamie in omnibus damnabant Cathari & Montanista, quorum facile princeps fuit Tertullianus vir alioquin maximus. Non è contra id omnibus Christianis semper bona conscientia licitum fuisse, & adhuc licere ex verbo Dei solidissimè probabimus, si tamen primum adversariorum argumenta breviter subverterimus.

3. Et s.



III.

Etsi autem multa contorquent argumenta, quæ repetitas in-
ptias damnant, tamen hoc est primum illorum fundamentum:
Quod Deus conjunxit, homo non separet. Ergo concludunt, ne mor-
te quidem conjugij vinculum solvitur.

IV.

Respondemus ad antecedens, Christi verbis falsam interpre-
tationem affingi. Non enim hoc dicto negatur legitimam con-
jugum separationem fieri posse, sed solummodo prohibetur; ne quis
uxorem abiciat illegitimè, sicut Christus ipse explicat, nemo homi-
num sibi sumere debet potestatem dirimendi legitimum conjugium
exceptâ causâ adulterij, cui Paulus etiam attexit malitiosam de-
sertionem 1. Cor. 7. Ab eo proinde quod secundum quid cumq; ma-
nifesta limitatione dictum est ad dictum simpliciter non valet con-
sequentia-

V.

Ex his videmus consecutionem argumentorum vitiosam esse.
Et sic non oportet, ut homo separet, quod Deus conjunxit, tamen fi-
eri potest separatio, vel morte alterius interveniente, vel facta le-
gitimo divortio. Tunc enim Deus mediate per homines hoc facit.
Quoties enim duo uno ligantur vinculo, solvitur uterq; alterutro
quovis modo soluto.

VI.

Ad confirmandam hujus veritatem, testem habemus omni
exceptione majorem, apostolum videlicet Paulum, qui Rom. 7. v.
2. ait, mulier vivente viro alligata est lege, sed si mortuus fuerit
vir ejus, libera est, ut nubat alteri.

VII.

Neque adversarios quicquam juvat, quod Marcus & Lucas
Evangelista, nullam divortij causam admittere videantur. Quia
vero in Evangelistis universalis & necessaria regula est, veram in-
terpretationem ac sententiam, quærendam ac sumendam esse ex col-
latione descriptionum, quæ extant apud reliquos Evangelistas; ita
enim mutuas operas tradiderunt, ut quod unus brevius ac obscuri-
us posuit, illud alter suppleat & clarius explicet.

8. Consi-

IIX.

Consideranda igitur est etiam Matthæi descriptio, qua testatur non semel, sed in duobus locis Christum diversis temporibus, quando materiam divortij tractavit, disertè addidisse exceptionem de causa fornicationis Matth. 5. & 19. Non igitur simpliciter universales sunt illæ sententiæ Christi in Marco & Luca, sed cum illa exceptione, quam Matthæus Apostolus, qui illis concionibus Christi interfuit, duobus in locis addit. Cum itaque derogetur generi per speciem, sensus Christi ex collatione Evangelistarum hic erit nimirum in causa fornicationis licitum esse tale divortium.

IX.

Quinã, bone Deus, & quã periculosi laquei conscientiarũ è simpliciter denegato divortio etiã in causa adulterij, quæ mala & incommoda, ex concessa hac opinione nascerentur? Innocens enim persona, post legitimum divortium, si donum continentie non habeat, & tamen non possit secundum matrimonium contrahere, cogeretur vel in perpetua ustione, quã invocatio, preces alijsq; cultus divini turbantur & extinguuntur, vitam degere, vel in fornicatione, alijsq; dictu & factu horrendis libidinibus, quæ à regno Dei excludunt, vivere: Idq; non sua, sed aliena culpa.

X.

Atque ita divortium à filio Dei propter causam adulterij indultum parti innocenti, nihil aliud erit, quam laqueus quo conjiciatur in ustiones, in fornicationes, in iram deniq; & judicium Dei. Melius igitur Christus Ecclesiæ suæ prospexisset, si simpliciter nullum divortium etiam propter adulterij causam, concessisset. Ita enim pars innocens facultatem utendi remedijs divinitus contra fornicationes institutis haberet. Sed Tridentinum concilium non est sollicitum quomodo conscientijs consulatur. Sicut enim Sacrificulis, ita forsitan etiam separatis centum potius concubinas, quam unam legitimam uxorem concedent.

XI.

Ita ergo sententiæ Christi clara est & ab adversæ partis corruptelis sufficienter vindicata. Sed adhuc duo dicta ex Paulo opponuntur, quæ

B



ur, quorum primum habetur Rom. 7. v. 2. ubi Apostolus dicit mulierem lege alligatam esse viro, donec vivat, ita ut se vivere viro alteri conjuncta fuerit, adultera pronuncietur. Hoc Pontificij ita interpretantur, quasi Paulus voluerit docere, ne post legitimum quidem divortium propter causam fornicationis factum concedi posse aliud matrimonium, altero conjugē vivente.

XII.

Respondemus cuiq. locum illum vel leviter saltem inspicienti, manifestum statim fieri, Paulum ibi ex professo non agere, de doctrina divortiorum, sed similitudinem à legitimo Conjugio, quale fert vita hujus status, ad spiritualem nostram cum Christo significandam, conjunctionem ducere. Et nullum est dubium matrimonium per se juxta institutionem esse talem copulationem, sicut Christus inquit non jam sunt duo, sed una caro Matth. 19. v. 5. item quod Deus conjunxit, homo non separet, & hoc modo juxta intentionem, nexus matrimonij, non nisi morte solvitur.

XIII.

Et probè notari debet emphasis verborum Pauli: Non enim loquitur in genere de quavis muliere vel conjugē, sed de muliere ὑπὸ νόμου. Sic enim ait ἡ γυνὴ ὑπὸ νόμου ὡς ὁ κύριος. Mulier autem ὑπὸ νόμου est, quæ jure vinculi conjugalis viro subjecta est. Dum igitur adhuc subjecta est viro, non debet alij viro commisceri. Quando autem vir adulterio vel malitiosa desertione, fœdus conjugale rumpit, mulier jam non amplius est ὑπὸ νόμου, sed teste Christo & Paulo 1. Cor. 7. soluta. Alterum dictum pro sententia adversariorum probanda majoris videtur esse momenti, fortiusq. urgere; illud habetur 1. Cor. 7. v. 10. ibi præfatur Apostolus se repetere præceptum Domini de divortijs. Dicitur autem simpliciter, sine exceptione præcepta Domini esse, mulierem à viro non separari; quod si separata fuerit, maneat innupta aut marito reconcilietur, & maritus uxorem non dimittat.

XIV.

Respondemus Paulum Christi doctrina de legitimo divortio ne in minimo repugnare. Id quod ex circumstantijs Paulini textus patebit. Nā Christus suo præcepto duo complectitur: primo propter quas causas,

causas non sicut licitum divortium, ita ut legitime possit aliud matrimonium contrahi. Secundo addit exceptionem de causa fornicationis. Opera jam pretium est videre, an Paulus de utraque parte, an vero de altera sermonem allegato loco instituat.

XV.

Paulum autem de priori parte precepti Domini loqui, quae nimirum in alijs casibus extra causam fornicationis ipsam dimissionem prohibeat, cum ex textu, tum ex alijs indicijs manifestum evadit. Expresse enim loquitur de illis casibus, in quibus ipsa dimissio non est licita. Si proinde Dominus vult conjugatos non esse separandos, nisi ob Fornicationem, Matth. 5. v. 32. utique sequitur necessario Paulinum textum, qui hic divortium interdicit, intelligendum esse de prima parte. Et in hoc casu recte dicitur non posse contrahi aliud matrimonium, quia nondum soluto vinculo matrimonij, est adulterium.

XVI.

Non igitur preceptum Domini est, virum propter causam fornicationis, nec debere nec posse uxorem dimittere. Exceptio itaque causa fornicationis in illa Pauli sententia non comprehenditur. Hac enim nisi vera esset sententia, sequeretur D. Paulum sententiam Christi non recte intellexisse, si contra mentem ejus legitimum divortium fieri neget, sed cum hac sint absurda, expositio ergo hac erit vera.

XVII.

Secundo ipsum verbum reconciliationis ostendit Paulum non loqui de causa fornicationis. Quando enim in scriptura alter dicitur alteri reconciliari, intelligitur hoc proprie, non de parte innocente, sed quod pars offendens reconcilietur alteri, ut Rom. 5. v. 10. Quod si jam Paulus discessionem mulieris, de causa fornicationis intelligeret, non mulieri, ut parti innocenti, sed viro, ut parti offendenti, injungeret reconciliationem. Quoniam vero dicit, mulier reconcilietur viro, aliam ergo intelligit separationem. Sape namque excepta causa fornicationis in hac infirmitate corruptae naturae, in confusione & perplexitate negotiorum domesticorum, incidunt occasiones rixarum & contentionum. Quod etiam inter sanctos conjuges, ut Abrahamum



& Saram Gen. 21. v. 10. 11. Jacobum & Rachaelem, Gen. 30. v. 2. e^ou-
nisse legimus. Salva igitur manet Christi exceptio.

XVIII.

Subversis hoc modo fundamentis Montanistarum ac Papistarum,
jam videamus, quibus rationibus nostra est converso sententia nitatur,
qua & secundas, & tertias, quartas, adde etiam si fieri posset centesi-
mas probat nuptias.

XIX.

Primū eadem causa & ijdem fines sunt in bonis & pijs hominibus
conjugij legitimè iterati, qua causa & fines fuere primarum nuptia-
rum, quas sanctas & honorabiles esse ex sacris satis superq̄. constat.
Quare fateri necesse habemus repetitas nuptias, siue fuerint secun-
da siue tertia, esse sanctas, honestas & tolerabiles. Nam ut prima nu-
ptia mutui adjutorij causa (cujus partes sunt plures) per legitimum
consensum & incuntur, ita & secunda & tertia. Nullo enim modo
fingenda sunt alia causa, honesti conjugij iterati, quam fuere primi,
nec alij fines.

XX.

Secundò, quod scriptura requirit clarè & disertè approbat,
hoc Deus approbat & requirit. Scriptura autem requirit & approbat
secundas nuptias 1. Timoth. 5. v. 15. Ergo Deus eas requirit & ap-
probat. Tertio, hac vox Dei, non est bonum hominem esse solum. Gen.
2. v. 18. (hoc est absque uxoris adjutorio ceu extra conjugium) uni-
versalis est. Pertinet igitur etiam ad eos, quorum uxores vel mortuae
sunt, vel propter crimen separatae, per legitimam sententiam judicis.
Quarto necessitas vitanda scortationis, omnes qui non habent conti-
nentiae donum, obligat ad obedientiam hujus mandati 1. Cor. 7. Si
ergo quis amissa priore uxore, uritur, hoc praecepto obligatur ad qua-
rendas novas nuptias. Hinc Augustinus eleganter loquitur, quia
aegritudine semper consulendum, propterea si contigerit alicui pri-
mo privari conjugio, si voluerit vel secundas vel tertias inire nu-
ptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas castè servaverit.

XXI.

Et hac quidem pro primo licito Polygamiae genere disseru-
isse sufficiat, restat ut jam de illicito secundo genere agamus, priori
insistentes methodo.

XXII.

Huius autem defensores, prima quasi in acie collocant multorum sanctorum patrum exempla, ex quibus concludunt & nobis licitam esse polygamiam.

XXIII.

Verum huic argumento multiplex sophisma inest, partim fallacia causarum, partim vitiosè consequentis. Et primo, generalis ad hæc & similia exempla sit responsio: non exemplis, sed legibus esse pugnandum. Discernendum est enim inter universalem regulam, & extraordinarios casus. Exemplo res potest illustrari. Regula universalis in lege Mosis erat, nemo ducat uxorem fratris sui. Nam huiusmodi nuptiæ sunt incestuosæ, nihilominus in certo casu, ob peculiarem causam Deus qui est supra omnes leges, mandat, ut si quis moriatur sine semine, frater superstes ei semen excitet. Quod & ante legem usitatum fuit. Exemplum item: Abrahæ notum est volentis filium immolare, quod tamen pro factò Deo grato putabatur. Hoc exemplum cum alij imitarentur horribiliter peccarunt, non discernentes inter universalem regulam, non occides, & peculiarem rationem facti Abrahæ.

XXIV.

Ad consimilem modum judicandum est de hac questione. Regula universalis est, erunt duo in carnem unam; specialis casus fuit patrum polygamia. Ab hac regula universali cum patres exorbitarunt, dubium nullum est, quin hoc modo in Deum graviter peccarint. Homines enim fuerunt.

XXV.

Non autem propterea statim patres inter impuros vel adulteros numerandi sunt. Multa enim sunt quæ patrum culpam elevent & excusent. primò enim tollenda potius prolis, quam turpis libidinis explenda gratiâ polygamos fuisse plerosq; satis constat, quamvis homines etiam nonnullos hac in re fuisse, interim minimè negandum est. Augustinus vero in suis disputationibus contra Manichæum & Ambrosius libro 1. cap. 14. & 5. existimant, patres in V.T. idco plures uxores habuisse, propterea quod Abrahamo promissio facta fuerat de multiplicatione seminis sui, sicut stellarum in celo & pulveris in terra, ad quam multiplicationem patres usos fuisse hoc medio

B. 3.

plurimum

plurium uxorum, vel etiam ob semen benedictum, quod ex illa gente nasci debebat.

XXVI.

Cum ergo Deus patrum polygamiam non approbaverit, sed duntaxat toleraverit, eamque in N. Testamento planè abrogaverit Matth. 19, v. 8. Illorum exempla nobis imitanda non proponamus; Jacob duas sorores sibi habuit Rachaelem & Leam, id exemplum admirandum, non imitandum est, cum per Moysen expressè prohibitum sit Lev. 18, v. 10. Non enim tam spectandum est, quid factum sit, quam quid fieri debeat, ut eleganter inquit Ictus, in leg: sed licet ff. de offi: pres.

XXVII.

Refutato jam primario argumento pro defensione secundi generis polygamia, nostra sententia ex opposito facile ex sacris probari potest.

XXVIII.

Prima probatio assertionis nostrae sumitur à conjugij institutione, ad quam Christus nos revocat, Matth. 19, v. 8, admittens tantum duas personas in uno conjugio. Est autem haec institutio, data est una Eva uni Adam, & commendatum est exemplum toti posteritati ERUNT DUO in carnem unam. Hanc legem Christus & Apostolus Paulus accommodant ad omnium aetatum conjugia. Ergo contra hanc institutionem & contra hanc legem conjugij perpetuam fuerit, si vel unus vir simul habuerit plures uxores, vel una femina pluribus simul viris nupserit.

XXIX.

Præterea rem alienam nemo invito Domino potest bona conscientia alteri dare. Ictus inquit nemo plus juris in alterum transferre potest, quam ipse habet. Vir autem non habet in sua potestate suum corpus, ut nec mulier 1. Cor. 7, v. 4. Ergo illud alteri mancipare non potest, cuius usu ne ad tempus quidem, alter alterum defraudare debet. Hoc enim est de natura conjugij, ut alter alteri in solidum sese utendum tradat.

XXX.

Ex his omnibus apodicticè concludimus hoc polygamia genus, tum contra scripturam, tum contra naturam ipsam pugnare. Siquidem natura dicitur, unum debere esse unius, & non plures in uno conjugio. Id namque ipso opificio corporum maris & feminae, & perfectione

Etione

791.
Etione generationis manifestum evadit. Perficitur generatio ex duorum corporum complexu.

XXXI.

De amicitia scribit Aristoteles lib. 8. eth: quod vera amicitia in multis consistere nequeat, propterea quod unus animus, qui ad illam requiritur, difficulter in multis esse possit. Id quod ad conjugalem vitam haud ineptè accommodari potest, cum affectus conjugalis in plures feminas dividi non debeat, propterea quod ab initio una costa in unam feminam tantum & non in plures conversa sit, ut inquit Textus in C. gaudemus § quia vero de divortijs. Quicquid ergo primæ institutioni Matth. 19. repetita responderet, id tanquã rectum, bonum, justum ac Deo acceptum sequamur.

CAPVT III.

DE IMPEDIMENTIS AC DIVORTIJS nuptiarum.

I.

Ut eo melius ad propositum nostrum perveniamus, utpote sine quibus thesis sive scopus tertij huius capituli, nec attingi nec rectè declarari potest, prius paucis agendum de gradibus prohibitis & concessis in Matrimonio. Nam de eo valde inter nos & pontificios controversatur.

II.

Initio status controversie attendatur, qui talis est, utrum in divinis & naturalibus illis prohibitionibus, quæ Lev. 18. extant, Romanus pontifex habeat potestatem plenariam dispensandi, hoc est, an possit sui autoritate, & potestate præter leges divinas sibi vendicata, laxare & solvere divinas prohibitiones, id quod Canon tertius Concilii abuli Tridentini affirmat. Nos id strenuè suffulti sacre scripturæ autoritate negamus.

III.

Pro affirmativa nostra tenenda & stabilienda, illud Baldi in authentica ad hæc Cod: de usur: libenter pro nostro usurpamus. Non enim ratione humana permitti ea, quæ jure divino prohibita sunt. Insuper certum est humanas dispensationes contra jus divinũ & mandatum Dei non valere, Deut. 4. v. 4. Non enim creatura contra creatoris voluntatem dispensare potest, quo fit ut papa non possit dispensare contra præceptum Domini.

4. Sed



IV.

Sed contra hoc loco aduersarij obijciunt, esse præcepta illa Lev. 18 & 20. de gradibus prohibitis partim moralia, partim judicialia: Solam illam legem esse naturalem, quã Gen. 2. v. 24. dicitur, relinquet homo patrem & matrem suam, reliquarum plerarumq; in Levitico personarum prohibitionem esse tantum juris positivi spectantem ad populum Israeliticum. Idcirco nos ijs legibus non obstringi, & propterea pontificem etiam dispensare posse.

V.

Verùm nos respondemus, illas prohibitiones, pertinere omnino ad jus naturale ceu legem moralem, quæ est omnium temporum, atq; ad omnes pertinet, adeoq; mutari non potest, id quod sequentibus patebit rationibus.

VI.

1. Leges merè Mosaicae reliquas gentes non obligant, nec propter earum transgressionem gentes puniebantur. Sed hæc ipsa ex Lev. 18. v. 24. expressè dicit, Chananaeas gentes punitas esse propter earum transgressionem, & propter incestas ejusmodi pollutiones. Ibi enim expressè legitur. Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus hisce quippiam peribit de medio populi sui. Ostendit ergo Dominus, Leviticæ illas prohibitiones esse juris naturalis.

VII.

His legibus Lev. 18. v. 5. additur hæc sententia, custodite leges meas atq; judicia, quæ faciens homo vivet in eis. Hæc sententia cum applicatur à Christo ad LEGEM MORALEM, Matth. 19. v. 17. & Gal. 3. v. 17. Ergo omnino ad eam pertinet.

VIII.

Maximum etiam est argumentum, leges illas in Levitico esse juris naturalis, quod ethnici legislatores, quibus ignota fuit lex divina, eodem fermè modo numerent gradus prohibitos.

IX.

Neq; est quod quis hic insurgat, Lex naturæ est immutabilis, si ergo licuit aliquando, cum proximis Matrimonio jungi, utpote cum sororibus, videtur prohibitio non esse juris naturæ, sed politica ordinationis in republica Mosaica.

10. Verum

X.

Verum hac distinctione, obiectio hac solvitur. Nam nonnunquam lex natura dicitur απλως sive ὁλως hoc est, simpliciter, ut Deus colendus est, honorandi sunt parentes. Hac lex natura plane est immutabilis. Alias dicitur lex natura ἡ τιθεν τῆς ἐπιουα, videlicet cum natura finem intuetur, qui est incolumitas humane societatis & conservatio. Hac lex natura in exordio mundi requirebat proximorum nuptias, ut fratrum cum sororibus, ut homines multiplicarentur. Iam eadem lex natura, humano genere multiplicato & late sparsa, prohibet proximorum conjunctionem in lineis certis & gradibus propter eundem finem, videlicet ut homines inter se societate coalescant & firmis amicitia fœderibus jungantur, serpente in plures charitate per affinitates.

XI.

Quod autem primi homines, cum alia mulieres non extarent, sorores suas duxerint, id factum inquit Augustinus, quanto est antiquius, compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente. Ex his omnibus apparet illas prohibitiones non ad solos Iudæos spectare, sed & hodie Christianos obligare.

XII.

Porrò hoc loco quaritur & disputatur, an ne in illo loco Levitici ^{Questio.} cap. 18. tantum personæ illæ, quæ ἡ τὸ ἡσάμια commemorantur sint prohibita, an insuper illa prohibitio etiam ad reliquas personas quæ in æque propinquis gradibus reperiuntur, sit extendenda. Nam 16. expressè ibi exprimuntur personæ, quas veteres memoria causa his versibus incluserunt.

Nata Soror, neptis, matertera, fratris & uxor,
 Et Patruj conjunx, mater, privigna, noverca,
 Vxorj Soror, privigni nata nurusque,
 Atque soror Patris conjungi lege vetantur.

Hinc inferunt moderni Iudæi, quæcumque personæ non sunt expressæ, earum nuptias non esse prohibitas.

XIII.

Cæterum hac sententia vera si esset, sequeretur inde absurdum & nefandum scelus, ut contra jus liceat nepoti ducere aviam, & quod



quod liceat Sorori meae nubere patruo, cum de his personis non extet expressa prohibitio apud Moysen. Est itaque mera Sophistica ac calumniosa Iudaorum utpote sensus habentium excacatos, ut veritatem videre nequeant 2. Cor. 3 v. 14.

XIV.

Quare decisio textus extendenda est ad omnes alios consanguineos, & affines qui sunt in pari gradu cum personis, quos Moyses enumerat, cum prohibitio legis latoris sit generalis. Sic enim inquit Dominus, homo ad proximum sanguinis sui non accedat, ut evitet turpitudinem ejus, Lev. 18. v. 6. Propinquitas autem carnis intelligitur quae aliquem sine intervallo attingit, id est, vel supernè vel infernè vel dextrà vel sinistra, hoc est, ad latera. Super proximè sunt pater & mater, ad latera, hoc est, dextra & sinistra fratres & sorores, infra sunt filius & filia. Ergo hac lege generali prohibentur parentes & liberi contrahere, & ex consequente omnes qui in illorum loco sunt, item fratres & sorores. Reliquis lege Dei liberum relinquitur.

XV.

Et sic in genere prohibet Moyses, misceri consanguineis, id quod in eo loco quasi pro regula statuit Lev. 18. v. 6. & postea declarando hanc regulam enumerat certas personas, ex quarum prohibitione vult etiam intelligi reliquas, consanguineos vel affines, qui pari gradu consanguinitatis & affinitatis sunt cum personis ibi enumeratis, ut cum prohibet misceri amita, id est, sorori patris, simul vetat conjungi cum filia fratris, quae etiam ibi in secundo gradu linea inaequalis conjuncta est sicut amita. Vbi enim est eadem ratio, ibi est idem jus.

XVI.

Proinde diligenter observandum, quod prohibitio quae extat in Lev. cap. 19. & 20. in linea recta ascendentium ac descendentium vetat omnia conjugia, licet ibi tantum enumeretur Pater, filius & nepos. Appellatione filij debent intelligi omnes ulterius descendentes in infinitum, cum omnes sunt in numero liberorum.

XVII.

Cum ergo Moyses dicit turpitudinem patris non esse revelandam id non tantum intelligendum est de proximis parentibus & liberis, sed de

sed de tota recta linea consanguinitatis, sive ascendendo sive descendendo. Quare si Adam hodie superstes esset, nullam posset ducere uxorem. Et ut non licet patri filiam in uxorem ducere, ita nec neptem, nec proneptem, nec abneptem. Qui ergo ex gradu ascendentium & descendentium, vel proximè sanguine junctorum uxorem duxerit, incestum committit etiam de jure gentium l. sin ff. de ritu nuptiarum.

XVIII.

Quod autem contra naturam sive naturalem pudorem sui hujusmodi conjunctio, etiam bruta animalia ostendunt, quæ nefandos istos concubitus renuunt, aspernantur ac detestantur. Justinianus in novella 12. hujusmodi concubitus inquit τὸ πᾶν καὶ τῶν ἀλόγων ἀποστρέφεται ζῶον. Sicut Arist. lib. 9. hist. animal. cap. 47. refert, Camelos nunquam matres suas supervenire, & cum aliquando curator marri aperta pullum admisisset, is operimento delapso, & matre cognita, camelarium, morsu defixo, interemit. De hisce plura legantur apud Plinium lib. 7. cap. 47.

XIX.

Quemadmodum ergo ratione consanguinitatis inter parentes & liberos, non debet fieri incesta commixtio, ut inter filias & Patrem Loth Gen. 19. v. 33. & v. 35. Sic etiam ratione affinitatis inter ascendentes & descendentes matrimonium prohibetur, ita ut pater non possit ducere nurum, nec filius e contra novercam. Ideo Paulus excommunicat Corinthium, qui novercam attigerat 1. Cor. 5. v. 3. Nec vitricus privignam, aut neptem ex privigno: quia in linea recta affinitatis ascendentium ac descendentium etiam perpetua est prohibitio juris divini, quia tales affines, ascendentes & descendentes, loco parentum & liberorum habentur l. non facile § hos itaq; de gradibus affinitatis: quo fit, ut appellatione nurus non tantum uxor filij, sed etiam nepotis & pronepotis uxor comprehendatur, sicut & privigna non solum intelligitur, quæ uxoris alicujus ex alio marito filia est, sed etiam neptis & proneptis, ita ut nullam earum ducere licitum sit, l. adopt. § nunc videmus de ritu nupt.

XX.

In collateralibus autem prohibet Moses 1. & 2. in linea inæquali.

C 2

ita ut

ita ut non possis in uxorem ducere tuam Sororem. In secundo vero gradu linea aequalis, nimirum inter fratrum & sororum liberos, matrimonium de jure divino non est prohibitum, sicut nec de jure civili § duorum a. inst. de nuptijs. Nam patruelis mea non est proximè supra me, neque infra me. Sed tamen ejusmodi nuptie merito legibus Ecclesiasticis prohibentur, quae in hisce casibus valent plurimum, propter majorem reverentiam sanguinis.

XXI.

Quod ad supputationem graduum attinet, quomodo persona in Levitico numeranda sint, ut inde certus gradus prosiliant, vel prohibiti vel concessi, videantur libelli methodici, imprimis verò comment. D. Chem. in loc. com. Phil. super hunc articulum. Illud tamen tenendum, supputationes ut plurimum ejusmodi in Consistorijs nostris institui secundum normam juris Canonici, non Civilis (licet id Beza improbet in tractatu de divortijs) idque non propter auctoritatem Papae, quem non agnoscimus, sed quia in eo honesta ratio apparet, & tacito magistratuum nostrorum consensu & longo usu sint recepta.

XXII.

Alia quaestio de humanis graduum prohibitionibus divinis additis.

Altera canonis tertij quaestio est, de humanis prohibitionibus additis divinis. Hic tenendum multum interesse hac in parte inter divinas prohibitiones, & humanas. Illae enim nequaquam admittunt dispensationem, ut est ostensum. Haec vero probabili ratione laxari & astringi possunt.

XXIII.

Hujusmodi igitur humanas prohibitiones, si fiant honesto & pio consilio, ut scilicet divinae majori reverentia serventur, & si fiant in proximis gradibus, post divinas prohibitiones, ab illis ad quos cura illa pertinet, pro ratione circumstantiarum, loci, temporis, personarum, sine laqueis & servitute conscientiarum, judicamus non esse temerè vel simpliciter improbandas.

XXIV.

Habent autem ecclesiae in singulis regionibus cum pio magistratu illam libertatem, qua fuit in veteri ecclesia, ut pro circumstantijs hominum, locorum & temporum aliquid constituent, quod verbo Dei non adversetur, & utile sit ad aedificationem. Hisce statutis ex mandato Dei parere debemus.

Haec

XXV.

Porro pro examine Chemnitiano contra can. 4. agendum nunc est: Hac n. necessario permittenda erant, ut eo melius ad summum quasi caput huius membri perveniremus, quod est de impedimentis, quae dirimunt Matrimonium, vel contrahendum vel jam contractum.

XXVI.

Ut autem Matrimonium sit firmum ac ratum omnino necesse est, ut sit divina conjunctio, hoc est, ut non pugnet cum doctrina Verbi Dei de substantia conjugij. Coharent enim illa duo homo non separet, quod scilicet Deus conjunxit. Possunt igitur incidere talia impedimenta, quae adversa fronte repugnant institutioni conjugij, & in talibus impedimentis homo non separat id, quod Deus conjunxit, sed Ecclesia ostendit talem conjunctionem non esse legitimam, sive divinam conjunctionem, ut si sit impedimentum graduum sive consanguinitatis, sive affinitatis, quos Deus severè sua voce prohibuit. Item si quis antea habeat aliam uxorem legitimam, si consensus non sit liber. Liberum enim desideramus sine ulla vi, cum nihil consensui tam contrarium sit, quàm vis & metus. Non autem qui vis metus hic intelligitur, sed is qui in constantem virum feminamq. cadere potest. De hisce plura quae desiderat, videat doctissimum tractatum de jure connubiorum Ioachimi à Beußt Icti. Item si accedat talis error persona, sicut Iacobo cum Lia accidit. Si natura non proffus sit idonea ad Matrimonium. De his, quia fundamentum in sacris est, nulla debet esse contentio.

XXVII.

Præter hæc vero alia finguntur à papistis nuptiarum impedimenta, quae in sacris locum non habent, ut figmentum de spiritali cognatione. De hisce propriè controversia est. Quod vero talis cognatio dirimat Matrimonium vel contrahendum vel jam contractum, & scriptura & vera antiquitati proffus ignotum est. Aliàs enim inter Christianos nullum posset constare Matrimonium. Omnes enim spiritaliter sumus fratres & sorores.

XXVIII.

Ignorat & hoc scriptura, quod votum castitatis solvat Matrimonium jam contractum. Votum enim ejusmodi calibatus, quocumq. nomine

Quæstio
de votis
utrum im-
pediant

matrimo-
nium con-
tractum.

nomine dicatur ex sacris probari haud posse constanter affirmamus, imo illis è diametro potius adversari, Gen. 1. v. 28. 1. Cor. 7. v. 2. 1760 repugnat natura, qua sui conservationem; legibus qua honestatem, societatem, efflagitant: conscientijs laqueos inijcit, libidinibus viam aperit atq; infinitorū causa existit malorum. Vno verbo impium, inhonestum, difficile, imo est ἀδύνατον.

XXIX.

Nam si votum, quod ipsi Domino voverat virgo aut sponsa, pie ac sine vulnere conscientiae rescindi potuit, quando ei contradicebat vel pater, vel sponsus, vel maritus Num. 30; quanto rectius rescindi debet ac potest id votum, cui in verbo suo palam contradicit aeternus pater & sponsus caelestis Iesus Christus. Si Papa Romanus vota & iuramenta rescindit etiam legitima & contra Iura omnia divina & humana, subditos à juramento obedientiae magistratui debita absolvit. Id tanquam benefactum probant & pleno ore collaudant hypocritae pontificij. Econtra si à voto humano praesertim impio, quin & impossibili verbum Dei absolvit eos, qui veritatem agnoverunt. Id impium & nefarium esse clamitant papicula. Sed mittamus illos: Caci enim sunt, & cecorum duces.

XXX.

Diversitas religionis etsi deterrere debet à conjugio contrahendo, non tamen distrahit contractum Matrimonium 1. Cor. 7, quod tamen ἄτι accipiendum putamus. Duplex est diversitas religionis, illa vel est in fundamento vel non: Deinde vel est curabilis vel pertinax. Si est curabilis, expectanda est patienter emendatio. Si est pertinax, ita ut alter conjugum pertinaciter & indefesse alterum in suum errorem cum fundamento pugnantem pertrahere conetur, & saluti animae exitium struat, magistratui legitimo hic incumbit, ut sua auctoritate personae innocenti mature consulat, ne infirmitate paulatim victa labascet & fidei naufragium faciat. Nam & Paulus haereticum hominem post unam atq; alteram admonitionem vitare jubet, ad Titum 3. & 2. Cor. 6. vetat jugum ducere cum infidelibus.

XXXI.

DE DI-
VORTIIS

Actum est in precedentibus de impedimentis nuptiarum, ob ma-
ter. a

teria cognationem agendam restat de veris divortijs directè Matrimonium solventibus. XXXII.

Notandum divortium & repudium inter se differre, quod repudium dicatur, cū vel uterq;, vel alteruter promissas recusat nuptias, & ita à pactione disceditur. Divortium autem fit, cum conjugium consummatum, propter alterius conjugum culpam dirimitur. Sape tamen alterum pro altero sumitur.

XXXIII.

Certum autem est ex lege Mosis Deuter: 24. tradita divortia Israelitis etiam extra casus in N. T. signatos, concessa esse. Sed cum hoc statutum politicum Iudaei nimis latè extenderent, & fere quavis de causa Matrimonio suarum conjugum renunciarent, proinde Salvator non solum corrigit illā inveteratam consuetudinem, sed illud ipsum politicum statutum, quod ad tempus datū erat ei populo, jam prorsus abolet: & divortium, quod in lege Mosaica ob nauseam ex feditate conjugum susceptam, poterat fieri, nunc ad fornicationis causam penè unice restringit. Hæc quippe est, quæ substantiale Matrimonij vinculum directè solvit ac dissipat. ADULTERIUM igitur est una vera causa divortij Matth. 19. v. 19. Committitur autem illud vel inter conjugatos, & virum feminamq; secundo vel inter maritum & mulierem solutam: tertio vel inter virum solutum feminamq; nuptam.

XXXIV.

Quæritur itaq; hæc haud immeritò, an non sint alia quoq; divortiorum cause præter stuprum? quandoquidem videtur Christus locis citatis fornicationem constituere solam & unicam divortij causam & reliquas, quæ vulgo feruntur exclusivè voce, NISI, tollere & abrogare. Verum particula NISI non secludit causas eas, quæ adulterio aquari possunt, aut Matrimonij substantia convellunt, sed opponitur consuetudini Iudeorum, qui quavis etiam levi de causa protinus ad repudia vel divortia provolabant. Quam obrem accommodanda hæc sunt ad subjectam materiam, videlicet ad questionem phariseorum, anne qualibet ex cause liceat homini divortium facere cum uxore sua.

XXXV.

Præterea etsi sunt cause alia quoq; divortiorum, eæ tamen non directè

directè, sed obliquè & indirectè pugnant cum substantia conjugij. Stru-
prum autem ceu fornicatio directè solvit ac rumpit nodum illum ma-
trimoniale m.

XXXVI.

Esse autem præter adulterium alias quoq; causas urgentes, &
pregnantes, qua separationem seu divortium fieri permittunt, ex
sequentibus manifestum est: Nam D. Paulus. 1. Cor. 7. v. 15. ponit ca-
sum desertionis malitiosæ pro causa legitimâ faciendi divortij, his-
ce verbis, quod si incredulus discedit, discedat, non est servituti subje-
ctus frater, aut soror $\epsilon\upsilon\ \tau\omicron\iota\epsilon\ \tau\omicron\iota\delta\ \tau\omicron\iota\epsilon$.

XXXVII.

Quamvis vero hæc verba Pauli, de diversitate religionis, & de
certa desertionis specie loquantur: tamen in genere ostendunt, quid
fieri conveniat hoc in casu cum persona innocente, qua remedio Ma-
trimonij indiget, postquam ab altera perfide deserta est; qua plæ-
rumq; etiam conjugale vinculum averfata, illegitimas commixtio-
nes sectatur.

XXXVIII.

Est enim desertor, qui discedit à conjugè, aut diutius abest, nul-
lâ honestâ causâ coactus, sed vel levitate vel injustâ impatientiâ fre-
ni conjugalis, vel alijs non necessarijs causis impulsus, vagatur. Unde
qui officij ratione abest, aut honestam militiam sectatur, vel capti-
vus detinetur pro desertore non est habendus, nisi voluntatem erga
conjugem mutaverit, & fidem violaverit.

XXXIX.

Separatio igitur, qua fit extra casus in scriptura notatos (Nam
in sacris literis dua tantum divortiorum cause EXPRESSE ponun-
tur, nimirum adulterium Matth. 19. & malitiosa desertio 1. Cor. 7.)
illicita contra Canonem VIII. Concilij Tridentini merito censetur.

XL.

Contendunt adversarij tale debere esse divortium, in quo vincu-
lum Matrimonij nihilominus salvum maneat. Atqui pontificiâ illâ
separatione vinculum conjugij multis & varijs modis solvitur & dis-
rumpitur.

XLI.

Nam ad vinculum Matrimonij pertinent hæc sententia, facia-
mus ei adiutorium, quod sit coram ipso, mulier non habet potestatem
sua

87.
sui corporis, sed vir, item convenite, ne vos teneat Satanas propter incontinentiam vestram non sunt duo, sed una caro, & ipsum Matrimonium definitur individuâ vita consuetudine. Hac vero vincula conjugij in pontificia separatione, quo ad thorum & cohabitationem, solvuntur & disrumpuntur. Homines igitur contra decretum divinitatis separant quod Deus conjunxit.

XLII.

Opera autem danda est, quantum salvâ conscientia fieri potest, ut divortia etiam legitima caveantur & nexus conjugalis vel indissolubiliter servetur, vel si interruptus fuerit, redintegretur. Quia secunda Matrimonia sua habent incommoda, propter liberos ex priori conjugio susceptos. Et pars lapsa quando sine omni spe receptionis repudiatur, difficilius ad penitentiam redibit, sed ex desperatione alijs atrocioribus flagitijs sese prostituet. Neque pugnat adversus pietatem adulteram resipiscentem recipere, ita David conjugem suam Michol, qua alteri copulata fuerat, rursus ad se recepit.

XLIII.

Proinde non statim ad divortia profiliendum, sed prius tentanda sunt omnia, qua reconciliationi & redintegrationi servire possunt. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt & edificant, inquit Paulus.

CAPVT IV.

ET VLTIMUM, DE CLANDESTINIS
nuptijs.

I.

Observandum hic primo venit, qualia auctoritate Tridentina Synodus, de hac questione statuat. Fatetur Ecclesiam talia clandestina Matrimonia semper detestatum esse atque prohibuisse, & tamen simul anathemate damnat eos, qui ea vera ac rata esse negant. Hinc igitur sequitur detestandam & prohibitam conjunctionem verum Matrimonium facere, hoc est, feda & prohibita conjunctio juxta concilium Trid. est legitima & divina conjunctio.

II.

Ipsi vero saniores pontificij, si alias adhuc micatandoris in illis
D est,

est, fateri necesse habent, MATRIMONIA in scijs & invitis parentibus contracta non esse legitimam aut divinam conjunctionem. Groperus in institutione Colon: gravissimè inquit, Evaristi canonem plane sanctissimum cuperemus in ecclesiam concilio generali revocari ob clandestina illa Matrimonia tollenda, quae nunc passim non palam, sed furtim inter pueros & puellas citra parentum consensum & per lenones & lenas copulantur, vel inter stultos & temulentos, sola libidinis causâ non Dei respectu, sed diaboli instinctu conjunguntur, idq; saepe prater destinatum consensum. Quis enim consensum rectè vocârit, cuius non consilium, sed vel pueritia vel temulentia, vel insidia, vel libido causa sint?

III.

Nos autem hanc sententiam cum B. Lutero manibus quod dicitur ambobus amplectimur, utpote juri divino, naturali, civili & veteris Ecclesiae constitutionibus consentaneam, & statuimus parentum consensum non tantum de honestate, ut jus Canonicum loquitur, sed etiam de necessitate ad liberorum nuptias requiri.

IV.

Quod ergo ad mandatum Dei siue jus divinum attinet, parentibus mandatur expressè, Ier. 29. v. 6. Deutr. 7. v. 4. 5. ut vel filios elocent, vel filijs uxores. Et Abraham pro jure patriae potestatis, quasi testamento caret, quam velit uxorem filium accipere, & qualem nolit à filio duci. Quartum etiam decalogi praeceptum de re verentia & obedientia liberorum erga parentes expressè & in specie complectitur quoque contractum matrimonij.

V.

Et quidem patriam potestatem posse matrimonia sine consensu parentum contracta, rata vel irrita facere, Deus expressè in lege sua ostendit. Extat enim lex divina Deutr. 22. v. 19. Si quis virginem stupraverit, dabit patriâ eor scelos, & habebit eam uxorem, nec poterit eam dimittere cunctis diebus vitae suae. Sic audimus illum de jure debere eam uxorem habere. Sed Exod. 22. v. 17. intercessione patriae potestatis illud potest vel ratum vel irritum fieri: si enim pater virginis eam stupratori dare noluerit, non potest eam habere uxorem. Imo si virgo, quae adhuc est in Patria potestate, ipsi DEO aliquid voverit, votum illud irritum potest reddi contradicente patre Num. 30. v. 6. Multo magis ergo patria potestas auctoritatem habebit in promissione matrimoniali. Id quod etiam auctoritate B. Lutheri probatur, qui inquit in suo libello, de causis matrim: art. 2. in pr. clandestina sponsalia usque ad-

eo non

803.
eo non valere debent, etiamsi arrhae, vel promissiones stipulatâ manu, vel etiam juramenta intercesserint.

VI.

Patriæ igitur huic potestati vult Paulus & liberos parere, Eph. 6. v. 1. Sic Samson rogat Parentes suos, ut mulierem de filiabus Philistinorum, quam amabat, ducere possit Iud. 14. v. 3. Et nota est historia Tobie Tob. 6. v. 6.

VII.

Non igitur rectè dicitur, nihil referre, si ve parentum consensus precedat, si ve initium fiat à clandestinis desponsationibus contra Dei mandatum factis, & postea parentum consensus ex intervallo aliquo subsequatur.

VIII.

Neque est quod aliqui dicant, si consensus subsequatur hac ratione confirmari clandestina sponsalia. Respondemus immotum esse fundamentum, clandestinas desponsationes ab initio non esse firmas aut ratas juxta verbum Dei. Ergo confirmari non possunt.

IX.

Notetur autem hoc loco non questionem esse, num parenti non liceat libero & legitimo consensu & patriâ auctoritate illos conjungere, inter quos clandestina desponsatio intercessit; Sed hoc quaeritur, quando parens legitimo consensu & patriâ auctoritate tales conjungit, an illa conjunctione velit, possit, aut debeat probare & justificare precedentem clandestinam desponsationem, quasi legitimè & divinitus ea facta sit. Id negatur. Hoc enim esset peccatum peccato addere.

X.

Sed ut tale conjugium sit divina conjunctio, non pendet ex vigore, probatione & justificatione clandestinae desponsationis, sed patriâ potestate & auctoritate juxta 4. præceptum de integro novus contractus in eatur necessum est, ut juxta formam divinitus præscriptam legitima fiat conjunctio. De hisce plura ac specialiora qui scire cupit, legat B. Lutheri tractatum de conjugio.

XI.

Ius porrò naturæ etiam dicitur, clandestinas nuptias esse impias. Naturâ enim intelligimus parentes esse venerandos. Et Achilles apud Homerum 19. Iliados, non vult sine patris sui consensu ne regis quidem filiam in uxore ducere: Et ethnicus ille apud Scriptorè Græcū inquit, non ducam eam, si vel VENERE formosior, vel PALLADE sapientior sit, nisi pater meus consentiat, & non immeritò, quia secundum Aristotelem oportet liberos parentes tanquam Deos colere, ac vereri. Omnino ergo naturali æquitati consentaneum est, ut parentes, qui ad illam usq. ætatem multis molestiis liberos educarunt, hoc honorio habeant, ut matrimonio cōsentiant.

XII.

Quod ad jus civile, res itidē clara est. Insti: de nuptijs, justas nuptias inter se

D 2

contra-



contrahunt civēs Romani, qui secundum præcepta legum coeunt: masculi quidem puberes, fœminæ verò viripotentes, si ve patres familiarum sint, si ve filij familiarum; dum tamen si filij familiarum sint, consensum habeant parentum quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet in tantum, ut jussus parentum præcedere debeat.

XIII.

Postremò veteris Ecclesiæ constitutiones eandem sententiam & quidem magna gravitate tuentur. Et quæ circa annum Domini 390. Ecclesiæ hac de questione fuerit sententia ex Ambrosio colligitur, qui de historia Rebecca, in libro de Patriarchis inquit, consistitur Rebecca non de sponsalibus. Illa enim judicium expectat parentum: non est enim virginalis pudoris eligere maritum, sed de die profectiois consulitur.

XIV.

Est tamen utriusq; ἐπιέμεια consideranda ne vel lædatur pietas, & parentum auctoritas minuatur, vel etiam ipsorum tyrannis ac liberorum licentia confirmetur. Officium hac in parte judicis erit considerare, an & quomodo parentes habeant probabilem causam refragandi, vel non. Patria enim potestas in pietate, non in atrocitate consistere debet. L. Divus ad leg. Pomp. de parricid.

XV.

Et hæc præcipuè intelligenda sunt, quando res adhuc est integra, puta quando nondum concubitus intervenit, quo facto conjugium consummatum non potest rescindi, etiam si parentes in illud non consenserint. Multa enim impediunt matrimonium contrahendum, quæ contractum non dissolvunt, ut eleganter inquit ICTVS.

XVI.

Considerandum enim est in hoc casu, ut majus scandalum vitetur, & ut habeatur ratio vitiatæ, cui maxima fieret injuria, si eam stuprator nõ duceret. Dispensatio itaq; quæ extat Deut, 22. v. 19. habeat eam in uxorem, hoc loco servari potest. Et tantum de hac disputatione.

Corollaria.

Dijudicatio causarum matrimonialium æquè ad politicum, quàm Ecclesiasticum spectat statum.

II.

Sanctitas temporis festivitates nuptiales non impedit.

F I N I S.

Errata

Cap. 1. th. 4. lin. 12. Iege qui. th. 11. l. 6. sanctumq; Cap. 3. th. 6. l. 4. incestus th. 12. l. 10. Vxoriscq; th. 25. l. 2. præmittenda th. 26. l. 14. qui th. 27. l. 5. prorsus

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17







777.
39



TIO XXI.
IMONIO
 DA PARTE
 CILII TRIDEN-
 issimi viri, Dn. D.
 HEMNITII.
 apitum
 e Sacramentum.
 ziarum ac divortijs.
 is.
 ilandam
 ide
GESNERO,
 in Acad. Witeb. publ.
 Arcis Elect. 1. Cal,
 istiano 1603.
 EO, Stormaro-holsatus.
 ERGÆ
 cisnerianis

